



QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ nonâ Decembris.

M. JOANNE-BAPTISTA RENATO MOREAU, Doctore Medico, Professore Regio, Præside.

An tepidæ potus febrium rigorem solvat.

I.

INTER tot mala, quibus genus humanum obnoxium venit, pauca sæviunt sine febre, multa hæc comitatur, in nonnullis etiam ad eorum solutionem optanda. Hujus naturam proprio nomine græci & latini significarunt. Si aliquam frigidam putas umbram pro Junone, pro morbo symptoma complectens falleris. Omnis in caloris genere & excessu subsistit, qui tanquam hostis infensus humidi primigenii substantiam semper oppugnat labefactat, omnesque fonctiones interpellat. Sive enim cum veteribus calorem præter naturam è corde in omne corpus effusum febrem intelligas, sivè cum Silvio pulsum præter naturam frequentiorem, sive cum Willi effervescentiam immodicam sanguini & humoribus inductam, hæc omnia ignis essentiam denotant, sed cave ne cujuscumque caloris exuperantiam statim febrem existimes, nisi accensa constansque aliquamdiu permanserit. Etenim si vel æstu, vel exercitio aut Balneo corpus incaluerit & mox agitatione sedata deferbuerit, calorem hunc nullus febrem neque morbum appellaverit. Verum quem calorem exceperit morbosa in corpore, διάθεσις cujus varia supellex varias febrium continuatum & intermittentium species procreat. Inquibus persanandis eadem tibi servanda methodus, nec pro variis sectis mutanda curationis velificatio. Quæcumque refrigerant, contemperant, ignem & æstum extinguunt, corporis rigorem relaxant & emolliunt, humoris morbifici impetus & aculeos comprimunt & obtundunt, huncque venæ sectionis & purgationis sursum aut deorsum instituendæ beneficio evacuant, tibi sunt usurpanda. Si verò alicujus malignitatis & maleficii consors ac particeps febris videatur propriis cardiacis & antidotis est oppugnanda.

II.

FEBRIBUS interpolatis à continuis hoc peculiare est, quod illæ quædam ἀπυρεξίας habeant tempora, quod quilibet paroxismus à frigore aut rigore plerumque incipiat & in sudorem desinat, quod accessiones statis periodis certisque temporum intervallis redeant, ut nihil sit exactius. Quam quidem effervescentiam sanguinis sic redeuntem & febris intermittentis paroxymum constituentem nonnulli in succi nutritii assimilatione impedita reponunt; Dum pro diversa cruoris constitutione, succus hic à debita temperie in diathesim modo acrem modo acidam, modo austeram pervertitur. Hinc surgunt periodi intermittentium, non unius generis, & ejudem distantiæ; quin aliæ quotidie aliæ tertio aut quarto die repetunt. Alii in obstructione ductuum pancreaticorum lateralium & in humore ibidem restagnante ejusmodi febrium causas collocant, alii cum Galeno in aliquo putredinis fomite, circa umbilicum, hepar, lienem mesenterium, uno verbo in prima corporis officina posito, pro cujus natura sede & foco statas febrium accessiones & periodos procreari existimant, dum putris & inutilis humor ibi cumulatus calorem nativum opprimit, qui cursu liberiori contra naturam, & calore ascititio everberatus & accensus quâ data porta universum corpus impetit, & quâ libertatis gratiam non reperit, nauseam, cardiogmum, vomitum promovet, corporis jactationes invehit, tremorem, frigus, horrorem, rigorem incutit. Hic fit valida & inæquali totius corporis quassatione cum manifesto frigoris sensu à repentino alieni inimici objecti ad partes sensibiles appulsu. Rigor etenim requirit & gravem læsionem in parte sensus participe & strenuum virtutis musculorum expultricis simul & motricis in rem noxiam insultum: Hinc artus syderati non rigent ut pote sensu & motu destituti.

III.

QUAMQUAM autem musculi rigorem experiantur, externi tamen in corporis ambitu positi vehementius quam interni conquassari solent. Quod acris & horrifica materies in remotiores partes à natura longissimè propulsetur, & à cutis densitate in subditos proximosque musculos repercutiatur. Hinc exterioribus magis quam interioribus corporis partibus horremus, veluti cubitis atque femoribus: Hinc etiam rigor posticas partes magis jactat quam anticas; quod materia morbifica circa hospitans, jure vicinitatis in eas primum extrudatur & ejiciatur, ibique diutius commoretur ob majorem cutis tergus tegentis crassitiem, unde spinâ oleis calidioribus perunctâ lenitur rigor, contra verò anteriorum partium cutis rara est, ut indicant pili in ipsis dentius fruticantes, nec non sudor è pectore quam è dorso uberior erumpere solitus, hinc etiam mulieres propter δυσδιαφόρησιν viris rigori sunt magis obnoxiæ. Rigor autem ab horrore secundum magis & minus solùm distinctus vel est αὐτόματος sponte natus aut morbosus seu non spontaneus ab internis causis ortus, dirimitur etiam in idiopathicum vel sympathicum: In criticum periodicum & symptomaticum, cujus ultimi ratione interdum ægri Erebi limen jam pulsantes ingentibus quandoque tenentur rigoribus & non tam virium defectu quàm vi morbi fato cedunt. Rigoris in genere causam Chimici nitro frigefacienti solent ascribere ut febrium fervores sulphuri inflammato: Veteres vero rigorem rejiciunt & in frigidum à quo remissiores & in acre à quo intentiores rigores procreantur; sic à frigore tempestas aquilonia dicitur ῥιγώδης nec non

quicumque æstuante potissimum corpore vel tanguntur ab aëre frigido vel frigidâ inspergantur vel frigidam hauriunt,atque etiam qui diutius in balneo cunctantur, rigere solent, ita post cibum non modo extrema frigescunt, sed quandoque etiam rigor supervenit.

I V.

ACRIMONIÆ vero nomine & salsedo & aciditas aliæve qualitates secundæ quibus partes sensibiles pungere datum est, audiendæ veniunt. Acrimoniam seu Eretismum sœpius adducit πολυποσία merum enim partes nervosas vellicans rigorem invehit, quem exadverso solvit vinum ἴσον ἴσῳ epotum, id est cui non minus quam ipsum est, aquæ adjicitur. Aqua autem mundo coëva omnibus viventibus nota, naturæ nostræ conveniens unicus prudentiæ potus nulli non ætati saluberrima noscitur; sine hac nec corpus ulli viventium dabitur nec ulla alimenti virtus potest nasci, nec tueri nec parari. Quamvis nullis pro alimento sola sit. Gratuitum est omnibus sanis solatium, causariis, ægrotantibus, potu, fotu, insessu & crebro ictu ab alto infusa receptissimo quidem usu sœpè abusu esset nisi idoneus & justus arbiter peritus Medicus adesset. Ab hocce liquore vivifico animam hauriunt vitalem plantæ; sed mirare quæso. Quidquid opum terra fundit fœnerato beneficio ab aqua refundit. Hæc igitur perpetuis in deliciis debet esse ei qui sanitati consultum voluerit, hæc omni & ab omnibus sæculis convenit animali; hæc omni hominis ætati saluberrima, quocumque altero potu liberalius & copiosius potest ingeri, omnique alia facilior, amabilior & innocentior debet reputari. Natiuum enim calorem coctionis authorem promovet, cibos in ventriculo diluit, & permiscet, confectoque cibo utilem succum secernit ab inutili; quiquidem succus utilis aquâ comite quoquo versum per meatuum flexus deducitur, & in angustissimas quasque partium venulas penitius infertur, per oscula & cœca foramina roris modo percolatur, in omnem partis substantiam deciduus allabitur, per omne spatium diffusus cumbibitur, glutinisque modo firmiter adhærescit, donec tandem assimilatus uniatur. Quid plura? Supervacaneis recrementisque expeditius partes aquæ mixtura & beneficio liberantur.

V.

HANC si optimam quæris, sincera sit & defœcata omnis qualitatis expers dulcis & jucunda gustui, consistentiâ tenuis, quæ cito calefiat & refrigeretur, ventri & hypocondriis minime gravis, qualis quæ horaria, sudo cœclo dubiove, procellosa vel tonitru Jactuque fulminum ob murmurante æthere pluit; proxima sed minor dotibus est, quæ puri vivique fluminis arenoso alveo ad orientem placide decurrit, deterior è fonte per plombeos canales manans & de fosso hausta puteo, quæ quidem hypocondriis & visceribus diram infert noxam; quam agitatio & insolatus vix minuunt; ejusdem classis cisternina pluvialis gratiam morata perdidit. Reses de lacunis staguisque torpentibus vitium quod cepit, facit: gutturosos equiculos totamque medullorum gentem tumore notat vernaculo. Qui de nive & glacie potant strumosi Iberi accusant, tyrannidem gelidi hujus humidi. Sed heu! quam & semper ad εὔποτος ὕδωρ suum unicè convertit desiderium laborans ad sitim extinguendam. Dum æthnæis totus æstuat ignibus, ut suum incendio flagrantem contemperet sthomacum, recreet languentem, sibique somnum conciliet & avidi caloris moreretur ruinam. Aqua tabidos, hecticos reddit habitiores: re-

medium eſt febri præſentarium, ſanguinis undecumque fluentis, vacuationis cholericæ impetum comprimit & ſiſtit, profugum eadem revocat animô linquente calorem, rigorem ſoluit tetani; hæc decocta capitis mulcet dolores, obſtructa reſerat, affuſa tepida, fractis, luxatis, contractis artubus, & reſolutis amica ut & ulceribus, dura emollit, denſa aperit, laxat tenſa, craſſa digerit, pigram maturat ſupurationem, & quod omnem hujus ævi fere paginam implet medentem, verere innocentique uſu, ſæpius pro mochlico hæc pota ſola ſatis eſt emetico. Sic dum Riphæis algoribus glaciatur æger, dum frigus penetrabile illum adurit, hæc una eſt medela quæ frigus inimicum expellit, inutilis ſucci morſus frangit & obtundit, calorem blandè ſuſcitat & fovet ad medelam, uno verbo moderatus ejus calor jure merito habetur εἴγεων παρηγορικός.

Ergo Tepidæ potus Febrium rigorem ſoluit.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Joannes-Baptiſta-Gabriel Freſſant.
M. Michael Sauvalle.
M. Ludovicus Piquenot de Dragueville.
M. Claudius Burlet, Scholarum Profeſſor.
M. Alexander-Petrus Mattot.
M. Claudius Bourdelin.
M. Germanus Preaux, Reg. Profeſſor.
M. Petrus Daquin, Medicus Regis ordinarius.
M. Joannes Cordelle.

Proponebat Pariſiis JOANNES GAILLARD, Nivernenſis, Caſtro-Cenſorius, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.